

37

DE
MORBIS SOPOROSIS

PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
MED. ET PHILOS. DOCT. MED. THEOR. ANAT. BOTAN. ET PHARMAC.
PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECT.
MOG. ERREVRT. SCIENT. VTL. ITEMQUE SOCIET.
DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H. T. DECANO,

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

D. IVNII CICICLXXI.

PVBЛИCE DISSERET
NICOLAVS LEONARD,
NANCEIO. LOTHARINGVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

MORBI SOTIORIS

PETRO LUTHERI ET HILDE
LAMINNO

DE GOFIO MEDICO EPISTOLA

DE TUMORES CEREBRI

V I R O
SVMME REVERENDO AC PERILLVSTRI
DOMINO
DOMINO
IOSEPHO BENEDICTO
DE MATHY
LVNAE . VILLAE ABBATI
PIETATE AC DOCTRINA CONSPICVO
ECCLESIAE CATHEDRALIS WARMIENSIS
QVAE FRAVENBURGI EST
CANONICO DIGNISSIMO
ETC. ETC.
P A T R O N O S V O
OMNI CVLTV PROSEQVENDO

ORI

A 2

NEC

NEC NON

V I R O
PRAECLARO AC NOBILISSIMO DOMINO
D O M I N O

I O H A N N I F R A N C I S C O
M A T H Y

MAGNAE AESTIMATIONIS MERCATORI
SOCIETATIS PHYSICAE GEDANENSIS MEMBRO
OPTIME MERITO

F A V T O R I S V O B E N I G N I S S I M O

H A N C C E D I S S E R T A T I O N E M
I N A V G V R A L E M

P R O S U M M I S I N A R T E M E D I C A C O N S E Q V E N D I S H O N O R I B V S

E D I T A M

I N P U B L I C V M A C P E R E N N E V E N E R A T I O N I S

G R A T I Q V E A N M I T E S T I M O N I V M

V O V E T S A C R A M Q V E F A C I T

Francofurti ad Vnadrum
Die 20. Iunii 1771.

N I C O L A V S L E O N A R D
A U T O R E T R E S P O N D E N S,

P R O .




PROOEMIVM

Ego vero, qui quondam in academia
Parisina clinicam artem praece-
ptore ASTRVCIO, efficacemque,
quae manu fit, duce GARENGETIO, vtroque
viro famæ celebritate excellentissimo, didi-
ci, dein in nosocomiis castrensis, quæ nu-
peri belli calamitates requirebant, vtram-
que medicinam feci, tandemque per ali-
quot annos clinicus Gedani fui medicus,
nunc, ad summos medicorum honores ad-
spirans, non aliud quoddam feligendum pu-

A 3

tabam



tabam esse argumentum, publico profectum
meorum specimini inferuiturum, quam
quod ex aetuoſa ſcientia medicæ parte eſſet
deſumtuſum. Proinde de ſoporofiſis adfectibus
diſſerere mecum conſtitui, cum & clinica,
& chirurgica medicina ſæpe numero occa-
ſionem offerat, varia circa eosdem hos mor-
bos obſeruata inſtituendi. Maxime mihi
gratulabor, ſi haec mea huius argumenti
traetatio beneuolis lectoribus viſa fuerit non
plane inſtruuoſa.

§. I.

Quotidianæ eſt experientia, ſingulos homines, prout
diuerſa eſt aetas, virium conditio habitusque corporis di-
uersus, longiori quoque breuiorue uti ſomno. Quoties-
cunque igitur diuisi his naturalibus viribus inconuenienter
protrahitur ſomnus, naturæque modum excedit, morbus
eſt, a medicis diuictus ſoporofius. Verbi cauſa, adulitus,
qui tanto, quantus infantis nuperrime nati eſſe ſoleat, ſo-
piretur ſomno, haud abſurde comate aut lethargo videri
poſſet oppreſſus. Verum enim vero cum & in diurni-
tate, & in grauitate morboſi huiusmodi ſomni diuerſos
depre-

ſupraſt.

84

7

deprehendamus gradus, factum est exinde, ut apud optimos veteres recentioresque autores soporosorum morborum varia sint nominatae anticipitesque significatus. Executimus nunc, quoad eius fieri poterit, hunc scriptorum mediorum dissensum.

§. II.

Omnis morbosa somni conditio aut est continuus tantummodo dormiendi conatus, aut est ipse profundior somnus. Quocum si praesentiam simul aut absentiam febris contuleris, habebis diuisionis rationes, ad quas medici soporosorum adfectuum genera definierunt. Tametsi vero haec in re non omnium sit consensus, multi tamen ad frequenter quatuor genera soporosos morbos reduxerunt. *Comavigil* continuum, sed insomnem, dormiendi conatum dixerunt, si tanquam symptoma febri superuenit: *somnolentum* vero *coma* ipsum profundorem & magnitudine excedentem somnum, istidem febris comitem. *Carus* contra ea is est soporosus adfectus, qui, sine febre tamen, in continuo maximeque conspicuo in somnum conatu consistit; qui somnus, si maximus profundissimusque adest, nec febrem habet comitem, *lethargus* appellatur.

§. III.

Cum hic de idiopathica horum affectuum classe in primis agamus, merito utrumque illud coma (§. II.), quippe symptoma quoddam febrile, nunc non esset tangendum. At, quod saepe numero his nominibus alias apud scriptores subiicitur sensus, strictim comata quoque expediemus. Controversa autem anepsque horum nominum ratio exinde dependet, quoniam *cari*, *comatis*, *cataphoraque vocabulo*



cabulo Græci, *soporis* vero, *torporis*, *marcoris*, *veterne-*
que nomine Romani subinde indiscriminatim animaduertun-
tur vñi, quandocunque inclinationem ad somnum aut non,
aut difficillime saltem, superandam definierunt. Naturalis
enim somnus discuti se facile patitur: morbosus vero adeo
detinet ægrotantem, vt a fortioribus saltē irritamentis
excitetur, iisdemque remotis promte denuo obdormiscat.
Nos vero, vt cuilibet soporum generi sua constaret notio,
malimus cum nonnullis auctoribus distincte definiteque
loqui (§. II.), quam ex more vagos adhibere significatus.

§. IV.

Coma vigil (§. II.), *agrypnocoma*, *lethargus*, *spu-*
rius, itemque, dum grauius simul delirat æger, *typho-*
mania vulgo dictum, quoniam sub ipsa maxima somnolen-
*tia dormire nequeunt ægri, febre molestissimisque inso-
mniis plerumque agitati, merito ex soporosorum morbo-
rum numero iam pridem expunxit illustris ordinis medici,
hic florentis, Senior, celeberrimus IO. FRID. CAR-
THEVS ERVS a): cui vel hac quoque ex causa, præter
iam distam (§. III.), locum hic non concedemus. E con-
trario somnolentum coma, ad quod proxime accedit veter-
rum cataphora, licet etiam idem cum nonnullis febrile
*habeamus symptoma (§. II.), aliis contrarium statuenti-
bus b), e soporosorum affectuum numero expungi tamen
non potest, quod eodem correpti continuo sere dormiunt
& per irritamenta vellicationesque expergesfacti in prio-
*rem somnum mox iterum relabuntur.***

§. V.

a) In *Fundament. Patholog. & Therap.* Tom. I, pag. 222.

b) Conf. libr. iam citar, pag. 238, §. III.

¶

§. V.

9


At in *caro* (§. II.), quem etiam *apoplexiam leuem* siue *minorem* plurimi appellant, omnia longe sunt grauiora. Adeo enim alto profundoque sopiuntur somno, quos carus adfecit, ut rarissime sua sponte, difficulterque ab incitamentis externis, experges fieri queant, & experges facti questionibus oblatis responsione quidem satisfaciant, protinus autem denuo arctissimo somno opprimantur, absente tamen stercore. Addit vir summus, *G E R A D V S L . B . de SWIETEN* c), nullam quoque in caro lentam frigidam que deprehendi cacochemiam; quae tamen alioquin propria esse solet *lethargo*. Hic enim, latine quoque *venernus diuersus* (§. cit.), itemque summa inertia torporque sensuum maximus, languor inexcitabilis, atque indolentia extrema, pedetentim obrepere solet, tamque immodico somno ægrotum noctu interdiuque ægrum suppressit, ut hic supinus, hiante ore delapsaque maxilla inferiori, iaceat, omnium pœne rerum immemor, quasi nec sentiat, nec voluntatis imperio motus musculares subiicere possit. Alii idonei autores febrem cum ipso complicari adsirant d), negant alii itidem magni in rebus medicis viri e). Hoc saltem verissimum est, superuenire saepe numero febrem, tanquam symptoma aut funebris, aut salubriter critici euentus eius morbi, ad quem lethargus accedit. Si lethargici per momenta temporis excitantur, stupidi videntur, incongrua loquuntur, ab oscitatione os patulum

B relin-

c) In *Commentar. ad §. 1045 Aphorismor. HERMANNI BOERHAAVE de engnoscend. & curand. morb.*

d) *Conf. illuſtris CARTHEUSERVIS in libr. cit. pag. 237. §. II.*

e) *V. c. celeberrimus IO. ZACHAR. PLATNERVS in Arte medendi §. 370*



relinquent, aut matulam polcunt, nec mingunt. Adde manuum tremorem, lethargicis admodum frequentem, obseruante iam HIPPOCRATE atque ARETAEO. f)

§. VI.

Haud inepte cum haetenus commemoratis adfectibus soporosis (§. II.-V.) coniungitur *apoplexia*, a Græcis ita appellata, quoniam, quos inuidit, repente quasi iœu percutit. Latinis est *federatio morbusque attonitus*. Siderari autem dicitur omne, quod fulminis iœu aut aeris prauitate corrumpitur. Est autem hic morbus vera firmissimi profundissimique somni imago: quippe sensuum & motuum voluntati submissorum organa repente omni actione priuantur, superflite respiratione magna, forti, & stercente, pulsusque itidem plerumque magno & forti. Nisi enim hæc virium cordis & organorum respirationi inservientium intensio adfaret, parum a naturali ordine recedent actiones hæc vitales.

§. VII.

Hæc omnia si probe expendimus atque inuicem comparamus, haud incongrue concludi posse existimamus, parum omnino interesse inter apoplexiā atque carūm, nisi ad firmitatem profunditatemque soporis respexeris. In apoplectis enim pertinacissimus est somnus, nec per admodum consueta remedia efficacissimeque irritantia, dum viget paroxysmus, superabilis: carus contra iisdem excitantibus, quæ naturalem propellunt somnum, licet paullo difficultius, excutitur, si modo excitantium actio diutius continuoque perdureat. Hinc etiam veteres, vti iam suo diximus loco, carum


f) Lethargi nomen ex Græcis deductum est; quippe apud quos ληθη obliuionem, ἀέρας vero hominem designat ex multo otio languidum atque inertem.

rum leuem minoremque appellant apoplexiā: quid ergo verat apoplexiā magnum gravemque dicere carum? Causa etiam putas, hoc saltem inter argumenta discriminis, apoplexiā inter & naturalem intercedentis somnum, ponimureri, quod apoplexiā homines subito & ex improviso apprehendat, somnoque ordinario longius protrahatur, hic autem sensim tantummodo irrepat, breviorique stadio circumscribatur. Dantur enim apoplexiā exempla, quae accessionum suarum habent prænuncios adfectus, vertigines, cephalalgias, aurium tinnitus, visus, reliquorumque sensuum & ipsius memorie imbecillitatem, artuum tremorem stuporemque, & cetera, adeoque neutiquam subito & quasi ex machina irruunt. Præter ea sunt quoque homines, optimæ ceteroqui valetudinis, adeo proni in somnum, ut, altero adhuc pede terræ insistentes, altero iam prementes lectum, protinus in utramque aurem dormiant, saepe numero ita profunde, qui & insciī ex lecto tolli possint. Taceo, si diuturnitatē somni cum apoplexiā comparares, multos homines, imprimis femellas nobiliores, anferisque medullulae moliores, tanta esse ignauia, ut a prima nocte in medium diem dormire non erubescant. Taceo quoque exempla longi protractaque somni passim in medicorum commentariis obuia g). Fac denique, dormientem ab apoplexiā corripi: haud profecto prius hæc animaduertes, quam quando ægrotum nullo plane irritamento suscitari posse senties. In huius igitur morbi accessionibus inexcitabilis ægrotantium conditio primarium discriminis inter naturalem somnum morbosque reliquos soporosos erit argumentum.

B 2

VIII.

g) Confiliustis L, B, de SWIETEN Commentar cit, §, 1049,



§. VIII.

Si eventum singulorum horum morborum spectas, multiplex omnino ille deprehenditur atque diversus. *Comatum* (§. IV.) iudicatio minus esse solet ominosa, sequitur que plerumque febrium indolem exitumque criticum, quibuscum coniuncta obseruantur. *Lethargi* contra ea iam longe periculosior est finis (§. V.): plurimi enim, quos grauissimus hic inuasit morbus, ponunt vitam; pauci, qui evadunt, monente iam pridem **HIPPONCRATE** h), in pectori sunt purulenti. *Caro* facilior est solutio, quæ perfectam reddit sanitatem, superstite tantummodo aliquamdiu vacillante capitis titubatione i). *Apoplexia* denique si forte mitior fuerit insultus, largo æquabilique sudore, diarrhoea, lotii copiosi & crassi excretione, haemorrhagiis largis & sufficientibus, & in primis febre magna k) terminatur: grauior autem in paralysin, grauissima in mortem abit. Quod autem ad febrem in idiopathico lethargo absentem (§. IV.) attinet, eandem, sicuti sub finem morbi supervenerit, tantummodo symptomatis accessoriis loco habemus, auctoritatem secuti summi quondam viri, **FRIE-
RICI HOFMANNI**: *Iungitur*, dicentis l), & quasi sym-
ptoma lethargo supervenit febris, quæ mitior est, magisque pulsuum femet exserit frequentia & spiratione rora febrilique. *Hinc* discrepat a caro, qui saepius febrium est vel symptoma, vel confeccarium.

IX.

- b) In *Coacis Praelectione*, pag. 532, edit. Oper. **VANDER LINDEN &**
de morbis Libr. III, pag. 99, eiusd. edit.
- i) *Conf. per illustris L. B. van SWIETEN libr. cit. §. 1046.*
- k) **HIPPONCRATES** Libri. II, *de morbis* pag. 39, edit. cit. & L. B. *de
SWIETEN libr. cit. §. 1017.*
- l) *In Medic. Systemat. rational. Tom. IV, Part. IV. pag. 54.*

§. IX.

Ex iis, quæ in initio huius commentarioli disputavimus, intelligi posse arbitramur, naturalem & morbosum somnum ratione originis parum omnino esse distinctum, prioremque illum corporis cuiuslibet viribus esse conformem, hunc autem posteriorem difformem. Si vero physiologos de somni generatim spectati causis quæras, edoceberis luculenter, solum difficiliorem liquidi neruei per cerebrum motum cuiuscunque somni esse caussam. Hæc autem motus impedimenta oriri partim a neruorum compressione, partim ex defectu sufficientis copiæ ant mobilitatis spirituum animalium siue, si aliud nomen mavis, liquidi neruei, iidem physiologi amplius demonstrant ^{m).} Vnde nemini obscurum esse potest, omnes istas caussas, quæ modo expositas tam in cerebri neruorumque actione, quam in liquidi neruei secretione atque constitutione producere possunt mutationes, non solum somno inducendo esse idoneas, sed etiam, tanquam procatarcticas caussas, ad comata, caros, lethargos, apoplexiæisque fore efficacissimas. Quæ omnia cum medico clinico ad instruendas indicationes therapeuticas apprime inserviant, nostrarum omnino esse partium existimamus, de his omnibus nunc porro agere sigillatim.

§. X.

Agmen harum causarum ducat *gula intemperantia voracitatemque*, in primis si tuburcinatio ⁿ⁾ simul acceferit, non

B 3

solum

^{m)} Confer illustris ALBERTI de HALLER *Primas lineas Physiologie*, §. DLXXXV.

ⁿ⁾ Videatur a Preside nostro elaborata & sub Præsidio illustris BUCHERI Halæ anno circlo CCLVIII, defensâ dissertatione de tuburcinationis damnis.



solum nimiis, sed etiam difficulter concoquendis cibis ventriculum oneratura. Quod dampnum eo certius continget, quo magis eiusmodi gurgites abdominalique natū homines otio abundant, totosque pāne dies iuxta mensam agunt, egressu corporisque motu rari. Hinc enim vario itinere segne corpus in soporosos apoplecticosque insultus deducunt, immo praecipitant. Partim enim ex copiosa alimentorum colluie valida viscera chylopoietica multo, nec satis mobili viscidoque chylo abunde nimis replentur, nec eodem, quoniam muscularum actio deficiente motu iners atque segnis est, denuo sufficienter liberantur. Hinc etiam iusto maior sanguinis enascitur copia, quam plethoram medici appellant. Partim vero ventriculus nimis plenus, alimentorumque mole maxime distentus, descendenter, quæ vicina est, aortam qualitercumque premit, abituroque ad inferiores partes sanguini remoram facit, quo minus libere progredi possit. Hinc versus superiora velut retunditur sanguis, & adscendentis aortæ ramos, multo sanguine iam turgidos, adhuc efficacius expandit. Plurimus ergo, latus, in cerebri adeo vasa congestus sanguis comprimit cerebri medullam, viamque fluido ad nervos exituro quodammodo intercludit. Atqui hæc est vna earum causarum, quæ morbos efficiunt soporosos (§. IX.).


§. XI.

Haud minor porro in cogendo ad cerebrum sanguine potulentorum, quæ dicunt, spirituorum est efficacitas, præsertim si quis & copiose, & frequenter iisdem se ingurgitauit. Inde etiam fit, vt ebrii vinoque tam simplici, quam

quam adusto, bene onerati videantur leui apoplexia aut caduco lethargo correpti o). Quid? quod ille dissolutissimæ vitæ homo, qui liberrime & profuse totos dies perpotat, continuata inebriantum potulentorum actione vniuerso neruorum generi durabilem inducit torporem imbecillitatemque. Videas ergo fere quotidie ebriosis, quos vinum, aut cereuisia, aut adustus liquor, aut mulsum large perfudit, tremere manus, titubare gressus, hæsitare lingam, corpusque vniuersum ægre moueri; ad haec omnes animi actiones fieri imbecilles atque perturbatas. Ex quo in proverbiis consuetudinem venit; hunc illumue hominem potando stupidum bardumque esse factum. Quæ omnia quomodo eueniant, haud difficulter intelligitur. Quælibet ex hoc inebriantium genere potulenta multis abundant particulis inflammabilibus, acido vegetabili nuptis. Hæc ergo in ventriculum atque intestinorum tubum delata partim has partes, digestioni destinatas, vehementer irritant & tantum non rigidas reddunt; partim ibidem naturali calore in vaporem resoluta subeunt chylum sanguinemque, & utriusque liquoris volumen augent ita, ut manifesto rarefiant. Hinc ergo laudabilis chyli sanguinis que indoles perditur, & ad fecernendum nerueum liquidum ineptum redditur: ex quo fieri nequit, quin suffici-

eng.

*) Memorabile huius generis exemplam refert HENRICVS AB HEER in Observar medic. Libr. I. Obseruat. XIX. Homo quidam ab ebrietate iam in quartum diem dormiebat, veluti lethargo suppremissus; adeo, ut, quoniam primo ebrietatis tempore fupinus cecidisset, fine vilo tamen lesionis vestigio, bini praefentes chirurgi iam, raso capite, calvariam effenteraturi. Quibus vero restitit ab HEER euulstisque mystacis pilos: unde euigilauit iratissimus homo, pessima-imprecatus medico, ipsi denuo barbam vellicaret.



ens eiusdem copia deficere incipiat. Tum porro quoque partim maior tunicarum ventriculi intestinaliumque renis, per irritamenta spiritoosa productus, partim vniuersæ massæ sanguineæ maius volumen eminenter premit distenditque vasa, atque proximo a corde itinere sanguinem ad caput repellit, cerebri medullarem partem mirifice oppressum. En! iterum aliud cauſarum genus, cui proxima soporis morbosī cauſa (§. IX.) originem suam debet.

§. XII.

Quemadmodum porro moderata durant, ita e contrario *labores immoderati*, defatigations summae viriumque. robur excedentes, *meditationes profundæ*, & *litterarum studia indefessa*, longa, nulloque otio interrupta haud infre- quenter in apoplexiam lethargumque coniiciunt viros, aliquin longissima vita dignissimos & in bonarum artium scientiarumque incrementa natos. Accidit hinc, ut insi- gnis litteratissimorum hominum, qui summa contentione feueris studiis animum adhibuerunt, corporisque adeo & animi vires maxime eneruarunt, numerus ex apoplexia occubuisse paſſim legatur. Ergo quoque funestus hic morbus vulgo morbus litteratorum dici solet: quasi vero idem plurimorum eruditissimorum virorum finis exitusue fatali- ter sit definitus. Tantum vero abest, vt hæc omnino aliter accidere possint, vt potius, quemadmodum physiologi exactius demonstrant, longa meditatione non solum magna liquidi istius excellentioris, quod neruos agitat, co- pia consumatur, exhaustoque cerebro deficere incipiat, ve- rum etiam sanguis copiosior ad cerebrum cogatur, non si- ne insigni eiusdem a turgidis vasculis compressione. Ade- de, diutius grauiusque intensas fibras tandem quoque elat- tere

tere suo priuari fierique laxissimas. Habetis iam, optimi lectores, cauſas morboſi ſomni, lethargi, apoplexiæ (§. IX.).

§. XIII.


Verum enim vero eos, qui in omnia contraria nituntur, qui torpida animi corporisque requie atque inertia, & longo conſtantique otio, velut languescunt, & extra omnes humanorum pectorum adfectus ſepotiti deprehenduntur, de morboſo ſopore aut apopleſtico impetu haud ſecuros eſſe iubemus. Huius enim commatis homines maxime in ſomnum proclives, nec, etiamsi longas noctes dormiant, ſatiatos ſomno quotidie animaduertimus: quis mirabitur ergo, ſi in morboſos etiam ſopores demum coniiciantur? *Multum, inquit illuſtris de HALLER p), ad ſomnum conuerunt defectus omnis irritationis in capite corporeque toto, perfecta quies animi, ſenuum externorum, tenebrae.* Quod ſi igitur eiusmodi torpidi ad hæc inuitamenta ſomni querunt, fenestrarum velis obtendunt, obscura atque tenebrioſa loca ſectantur, tunc profecto inertia atque languor ſenſuum internorum externorumque incréſcit. Huc accedit, quod, vi experimentorum *Sanctorianorum aliorumque q), a ſomno, a negleſto corporis exercitio, ab apathia ſummaque animi indolentia per insenſibilem cutaneam exhalationem minus decedit, adeoque ſuccorum vitalium moles augetur, eo facilius efficaciusque omnes canales expaſſura, iſpumque demum cerebrum comprefſura, quo lubentius vafa, per inertiam atque languorem iam laxata, cedunt. Iam collige ſingulas has mutationes,*

C

medul-

p) In primis lineis *Physiolog.* §. DLXXXI.

2) Conferatur idem libr. cit. §. CCCCXXXVIII.



medullam cerebri oppressam, vasa languida & turgida, difficultem adeo liquidi nerui & in cerebro fecesum, & ex eodem impeditum egressum, caussasque inde facilime erues quorumlibet affectuum soporoforum (§. IX.). Taceamus, haud infrequentis esse obseruationis, per noctem non solum irruere morbosos sopores & apoplecticas accessiones, verum etiam sub vesperam eorundem morborum vim plerumque exacerbari. Tantum vero abest, ut noctis silentium, somno inuitando idoneum, haec solumento efficiat, ut potius nocturnum insensibilis exhalationis decrementum aliæque caussæ cum his coniunctæ potiores sibi vindicent partes r).

§. XIV.

Tum vero & illi, qui oscillatione, libratione, atque gyratione ludunt, corporusque in circum circumaguant, aut qui curru, lectica, nauigioque vehuntur, blando concusso moti, facilime euadunt vertiginosi: quos omnino non securos esse iubemus de caro atque apoplexia, si aliquæ in primis alia seporum simul iunctæ fuerint caussæ. Hinc etiam sit, ut magna pars hominum, dum vehuntur rheda, tranquille obdormiscant. Fac ergo, homines ex plethora laborantes aut mox a lauto pastu ventriculoque pleno portari vehiculo, tunc profecto facilime a soporosis adfectibus poterunt tentari: id quod ego ipsem in nonnullis excellentium virorum personis contigisse vidi. Neque haec omnino vili adeo mira atque inaudita esse possunt: siquidem partim circumrotatione & oscillatione ista singulæ res visui obiectæ quasi confunduntur, & velut vorticolum sum

¶ Confer PRAESIDIS nostri Diffræ, de nocturna plurimerum morborum exacerbatione, Helmstad. 1700, editam,

sum in ordinem repræsentatione exprimuntur, partim sub
vectura lenis ista atque uniformis concussio agitat nonnihil
cerebrum, id mque vix obseruabili allisu ad basin adpellit;
vnde ad neruorum originem quantulacunque fit compref-
fio, hinc impeditio & sanguinis & liquidi nerui motus,
& hinc adeo proxima somni, soporis & apoplexiæ cauſa
(§. IX.).

§. XV.

Venio nunc porro ad aliam reliquis non minorem
adfectuum sopororum cauſam, quæ a diuerſa tempera-
mentorum, (sic enim medici vocant,) ratione defumitur.
In his sanguineæ & phlegmaticæ temperie vis atque effica-
citas in producendis soporosis morbis maior eft, quam
cholericeæ melancholicæque. Atque hic effetus tanto
certior grauiorque accidet, quanto magis prædictorum
temperamentorum alterutrum reliqua humorum anima-
lium crasi præeminet. Quoniam igitur sanguineos nimia
sanguinis copia distinguit, phlegmaticos vero pituitos &
inērs succorum vitalium cacochymia, factum eft exinde,
vt & apoplexiæ, & adfectuum sopororum duplex ge-
nus hoc nomine conſtitueretur. Apoplexiæ enim sanguine-
& serofæ nomen quis ignorat? Soporosos pertractans
morbos illustris L. B. van SWIETEN: Forte posset, inquit,
majoris distinctionis gratia, cari nomen retineri ad designan-
dum profundum soporem in febribus acutis & aliis morbis,
ubi copia sanguinis, nimia eius rarefactio, aut & inflamma-
toria spissitudo adeſt. Lethargus autem vocaretur, ubi a
mera glutinosa & inertis sanguinis cacochymia profundus talis
sopor produceretur.

C 2

§. XVI.

i) Videſis illustris L. B. van SWIETEN Commentar. cīas. §. 1045.

§. XVI.

Videamus iam primo plethorae in progenendis soporosis apoplecticisque affectionibus vim atque efficacitatem. (§. XV.) Nempe homini *plethorico*, in quo sanguis multis densusque maiorem cordis renisum actionemque irritando excitat, facillime velocior accidere solet humorum motus, vniuersae fluidorum massæ, quæ a celeriori cursu rarescere incipit, volumen expandens. Ergo hinc & ob copiam maiorem, & ob insignius volumen plurimum timent vasa tam sanguinea, quam reliqua minoris diametri. Sed ossa crani olla, in adultis cedere nescia, omnem turgescientium vasorum vim nisumque in mollem cerebri compagem impellit, efficitque adeo, ut medullaris pars, & quidquid hic est neruorum originis, comprimatur, simulque nerui fluidi, si cum secretionem spectes, tum progressum, impeditissimum sit iter. Atqui hæc & soporum, & apoplexiarum sunt primordia. (§. IX.) Quanto magis hæc omnia eueniunt, quantoque efficacior medullæ cerebri erit compressio, si sub extrema tandem distensione diffissis a mole irruentis sanguinis vasis liquida, qua data est via, effluunt, & vndique cerebrum compingunt. Quippe hæc humorum extra suos canales effusum demum omnium facillime fieri solet, quando cerebri vascula reliquorum viscerum canalibus sunt debiliora, adeoque longe minus, quam hi, impulso sanguini renituntur. Hinc infarctus, varices, concrementa polyposa, disruptiones, encephali vasa peruerentes. Teste viro celeberrimo, LIEVTAVDIO^t), incisa hominum ex huius generis apoplexia demortuorum cadauera insipienti anatomico obtule-

^t) In *Précis de la Médecine pratique*. pag. 178. seq.

obtulerunt obturations vasorum, coagula polyposa, plenum choroidem varicosum, sanguinem inter cerebrum atque membranas, immo in ipsis ventriculis, extra vasorum effusum. Quid? quod etiam aliquoties visus est sanguis a mole sua insigniori impulsuque maiori in ipsam cerebri compaginem adactus. Eadem obseruata recensuit quoque summus anatomicus omniumque nostri temporis senior, IOANNES BAPTISTA MORGAGNVS.ⁱⁱ⁾ Inde etiam sit, ut illi, qui hoc modo sanguinis iustum pertulerunt, caput saepe numero insigniter tumeat. Caeve autem, putas, haec omnia semper plethorae vniuersalis esse effecta: ut potius haud raro sanguis in singularibus corporis humani partibus collectus coactusque idem efficiat. Verbi causa, sanguis in pulmonalibus vasculis fartus nonnumquam adeo ad encephalum redundant, ut in ipsis quoque cadaveribus putrescens sanguis ex ore, naribus, auribusque emittatur.

§. XVII.

Homini autem phlegmatico, glutinosa lentaque seri cluuiue abundantia, haud longe alia contingere solent phænomena, si exinde lethargicus apoplecticusque euadit (§. XV.). Partim enim mucosa atque serosa eiusmodi caco-chymia sic peruerit sanguinis crasis, ut secernendo subtilissimo neruorum fluido fiat ineptus, sufficiensque huius liquidus copia deesse incipiat; partim moles ipsius, ad cerebrum congesta, hoc deprimit medullaremque texturam neruorumque origines compellit. Atque haec sunt morborum soporosorum apoplecticorumque inde oriundorum caussæ.

C 3

ii) In incomparabili opere *de causis & sedibus morborum per anatomiam indagatis*, Lib. I. passim.

causæ. Haec etiam practica, quæ dicitur, anatome confirmavit. In eiusmodi cadaueribus enim incisores deprehenderunt *x*) compressum collapsumque cerebrum, ventriculos ipsius sero limpido aut sanguinolento inundatos, aquam inter piam duramque meninges in caluariæ fundo copiose collectam, plexum choroiden decolorem, et hydatibus refertum. Adde hoc, quod serosa hæc illuuius interdum in ipsa spinalis medullæ inuolucra delabitur, et, discusso demum interdum sopore aut apoplextico insultu, per longum adhuc tempus paralyſin partium inferiorum post se relinquit. Omne hoc serum collectum saepe numero aquæ gelatæ speciem habet. Accidit quoque interdum, ut temperamenti sanguinei homines huiusmodi serosas congestiones atque effusiones internas patiantur: quo facto admodum difficilis apoplexiæ aut soporis sanguinei serosius diagnosis euadit.

§. XVIII.

Est ad hæc aliud soporis apoplexiæque genus, quod hoc (§. XVI. XVII.) commode referas: *symptomatum* dicunt aut etiam barbaro nomine *accidentale*; de quo pauca tantummodo hic subiiciemus. Offenduntur enim haud raro, dum secantur cadauera ex lethargo aut apoplexia démortuorum, in cerebro tumores molles, abscessus, hydatides aliue folliculi, sanguine coacto, sero subfluo, aut pure pleni, steatomata, et alia; item exostoses cranii aut ossificationes morbosæ in ipsis cerebri membranis; quæ omnia, licet tanquam aliorum morborum consectaria succedant, medullæ tamen cerebri officiunt,

quo

x) Conferantur modo *circa* *auctores*.

quo minus libere tenuissimum istud fluidum permeare possit. Hinc ergo his etiam ex caussis sopores apoplexiæque originem deducunt; eoque certius lethales futuræ, si simul cum humorum in cerebro effusione fuerint coniunctæ.

§. XIX.

Verum enim vero iam supra (§. XVI.) fere in transcurso diximus, non semper vniuersalem plethoram, sed singularem quoque partium tantum quarundam, in caussis haberi oportere affectionum soporosorum apoplexis corumque. Singularis ergo & cerebri vasculis veluti propria plethora in tantum, in quantum ad diuersos morbos nascendos plurimum confert, nunc amplius suis ex caussis erit eruenda: plethoræ enim vniuersum corpus occupantis caussas indagare in præsentia nostri interesse instituti non putamus. *Primum* ergo ad sanguinis copiosorem molem singulariter in capite congerendam confert immoderatus et proxime capiti admittitus calor, sanguinem encephali vasa subeuntem mirifice rarefacturus. Quo nomine mediis perferuidæ æstatis caloribus fieri solet, vt mesfiores, peregrinatores, aliique, qui totos dies sub flagrantissimo sole consumunt, saepe in sopores apoplexiæque incident: quibus posterioribus ideo vulgo istus solis nomen est. *Deinde* idem efficit arctior colli constrictio per collaria aut induxit lingulam: quippe vnde fieri non potest, quin iugulares venae vehementer comprimantur, sanguinemque liberiori reditu excludant. Id quod multi ea, qua sunt, dementia elegantissime, vt putant, instituant, adeoque collari collum constringunt, vt compressis iugularibus venis, quasi suspedio essent interenti, vul-

tum



tum s^epe numero ostendant violacei coloris. Eadem h^ac mala, quae exteri^ores capitis partes tangunt, interioribus quoque demum inferuntur, &, licet non protinus irruant, sensim tamen grauissimis effectibus valetudinem inuadunt. Venæ enim sinusque venosi pedentem in varices expanduntur, compa^{ct}oque adeo sanguine cerebri compagem perpetuo premunt. Tandem quoque vehementior ira- cundia singularem hunc copiosioris sanguinis in cerebri vasa decubitum efficere potest, cum, teste quotidiano experimen- to, sanguinem cum impetu in carotides impingat, ade- oque *œconomiae animalium actionum maximas inferat perturbationes.*

§. XX.

Eadem singularis cerebri inundatio (§. XIX.) haud dissimiliori ratione a sero copiosus adacto fieri potest, quam a sanguine congesto. Hoc saltem utramque inter cauſam interest, quod in sanguinea fere rapida est acceſ- ſio, coniunctis omnibus p^{re}ce inflammationis signis; in ferosa vero omnia lentius procedunt, stuporisque speciem præ ſe ferant. In hac phlegmatica corporis constitutione omnes fibræ deprehenduntur laxæ vascorumque syſte- ma languidum; unde fieri non potest, quin adfus humores copiosus faciliusque percolentur, cerebrumque iusto mollius libenter cedat, obturarique ſe patiatur. Adeo medullaris neruorum origo, partim compressis a confluen- te ferofa colluui fibrillis, partim ob inopportunam incongruamque sanguinis, fero nimis temperati, cras in perdit id, ex quo & ſufficiens & ſatis ſubtile nerueum fluidum elaboret. Enī igitur effi-aces in soporibus apoplexiis, que producendis cauſas. (§. IX.)

§. XXI.

§. XXI.

Adde nunc omnibus his caussis, singularem sanguinis serique ad caput decubitum per temperamentorum rationes progignentibus (§. XIX. XX.), alias *vitię corporis constitutiones*, sua iam natura homines in soporosos apoplecticosque affectus facile coniecturas: et profecto eo certior expeditiorque omnium horum malorum erit ortus. Huc refer, verbi caussa, eos homines, qui breui sunt collo, obesoque corpore. In eiusmodi enim statuae corporibus maior cerebro cum corde est propinquitas, illudque adeo sanguinis vniuersum fere impetum eo excipit gradu, quem a vibrante proiicienteque corde habet. Si enim per longioris colli vasa sanguinis esset iter, longior quoque foret proiec̄tio, decederetque aliquid istius vis atque impetus, quem sub productiori via ad plures arteriarum diastoles efficiendas cor alioquin esset impensurum. Tacemus, quod sub corporis obesitate in celluloso textu plus liquidorum oleosorum et serosorum colligi coaceruari que solet; vnde eorundem per quamcunque caussam irritantem aut impellentem facilis et subitanea in cerebrum fit eruptio. Ad haec aliarum partium vitia, quae vasculorum cerebri systema admodum turbare, et innumeras fluidi neruei secretioni actionique difficultates obiicere possunt, referimus quoque polyposa in arteriis carotidibus et vertebralibus concrementa; quippe quae inaequalem sanguinis per cerebrum motum, simulque adeo turbatos spiritus, ut vocant, animales, et, inter alia horum vitiorum consecaria, sopores quoque et apoplexias producent.

D

§. XXII.





§. XXII.

Iisdem caussis, quae fortuito casu singularem in cerebro plethoram efficiere possunt, annumeramus tandem tam qualemque immoderatum calorem, quam violentum frigus; utrumque saepe numero subitaneae mortis, quidni etiam soporis? caussam. Nimius enim calor vehementer rarefacit humores, et hinc eosdem, quos alioquin vera plethora producit (§. XVI.), cerebro infert effectus. Magnum e contrario frigus in extremis vasculorum tubulis humorum circuitum maxime tardat; hinc sanguis, capillarium vasorum transitu nunc exclusus, in maiores trunco, viscerum interiora perreptantes, refluit, eosdemque nimia copia inficit. Hac ratione omnia viscera, adeoque etiam cerebrum, adfusis nimis humoribus onerantur, tandemque, ut superuenientia probant symptomata, penitus obstruantur. Accidit hinc, ut, qui summa hyeme, obstis multa niue viis, iter instituant, plerumque dormitire incipient, et, si se somni illecebris irretiri patientur, numquam iterum expergesiant, nisi forte fortuna tempestive fatis ab aliis excitentur. Haec mortis genera in alpinis regionibus haud adeo sunt rara. Immo aeternum venerabilis praceptor meus, vir celeberrimus, IOANNES IACOBVS CRESCENTIVS DE GAREN-GEOT, ex eadem caussa, dum anno CIO IOCC LVIII. militum, qui e regia cohorte erant, sanitatem curat, et media hyeme variis perfungitur itineribus, mense circiter Ianuario Coloniae Agrippinae apoplexia extinxus est, etroginta paene annos natus. Huc etiam referimus cubicula nimium calefacta, eosdemque per hyemem productionis effectus, qui alioquin aestui aestiu debentur: quippe et




et hinc difficilior redditur respiratio, spissiorque euadit sanguis. Haud tamen inficiamur plures huius generis caussas ad affectiones comatosas efficiendas saepe numero concurrens: v. g. temperamentum, diaetam, corporis conformatiōnem etc.

§. XXIII.

In his caussis porro numeramus diuersa odorum genera tam suavia, quam iniucunda; quippe qui haud raro velut ebrietatem et somnolentiam inducunt. Quo nomine notissimi sunt croci, florum sambuci, litorum alborum, aliorumque odores. Scilicet ex his floribus exhalant vapores valde tenues, mobiles et expansi; qui per calorem in primis magis extenuati per respirationis viam in vesiculos pulmonales penetrant, ibidemque per venosa oscula sanguinis massam subeunt, eandemque rarefaciunt, adeoque ibidem eosdem producent effectus, qui alioquin cicatiae narcoticae liquoribusque inebriantibus debentur. Eadem ratione iidem vapores membranam pueritariam narium ineunt, neruosque olfactarios afficiunt, et stuporem ad cerebrum ipsamque omnium nervorum originem transfundunt. Quippe hoc olfactoriis nervis velut proprium est, quod cum omnibus reliquis cerebri nervis conspirent, adeoque cum iisdem omnes suos effectus ingratos per consensum communicent. Eadem ratione odor fortis et iniucundus saepe numero animi deliquium et syncopen excitat; contra ea placens odor illico reuocat vitam. Sed habemus alia quoque exempla. Quicunque per aliquod tempus in umbra arborum nucum juglandij dormit, mox a diffusis harum arborum vaporibus in profundum soporem, saltē vertiginem, coniicitur: id quod etiam fit, si quis

D 2

diutius



diutius in taxi umbra dormiuerit. Hoc nomine veteres, ut quasi doloris sensum sopirent, taxum inter pompas funebres ad sepultra apposuerunt. Constat porro inter omnes et innumeris illaetabilibus exemplis comprobatum est, accensorum carbonum, in primis ex duriori ligno confeccorum, vapores in cubiculis paruis et clausis haud raro fustos produxisse effectus, saltem homines in profundissimum conieccisse lethargum. Porro etiam satis noctum est, ab exhalationibus sulphureis et acidis spirituosis mineralibus, passim a pyritis latentibus aliisque corporibus sulphureis oriundis, suffocari homines, extingui lucernas, fossores metallorum in cuniculis subterraneis saepe occidi, saltem in vitae discrimen adduci. Quo nomine satis celebres sunt cauernae caninae Puteolanae, Pyrmontanae, aliaeue. Quorum vaporum actio magna quidem ex parte respirationis effectus impedit, non nihil tamen etiam in ipsis nervos agit, eosdemque stupefacit, et partes, ad quas ipsi potissimum abeunt, resolut. Idem fere accidit phaenomenon hominibus, qui iusto diutius in cellis vinariis aut cereuariis, praesertim fermentationis tempore, commorantur; in primis quando spiracula cellarum clausa sunt. Tunc enim subito violenta oriri solet cephalalgia et vertigo, respiratio redditur difficilis, sensuum intercipiatur visus, tandemque ex apoplexia velut fulmine iti moriuntur. Idem saepe numero expectat satum eos homines, qui in cubiculis calce recenter obductis, aut nuper pictis, aut picturis plurimis recentibus plenis habitant dormiuntque.

§. XXIV.
Sed aliud adhuc sunt genus caustarum, soporosos affectus inducentium, certa nimirum condimenta, quibus cibi

cibi apparari solent et medicamenta quaedam. Ex prioribus praesertim sunt crocus et interdum nux moschata. Ex posterioribus vero tantummodo aliqua citabimus. Hyosciamus, verbi caufa, stramonium, mandragora, opium, et ex hoc praeparata, laudanum, pilulae de styrace et cynoglossa, fermentum anodynnum, syrups diacodion Montani et cetera, sunt narcotica et in maiori dosi veras affectiones comatosas et lethargicas producunt; licet dentur exempla singularia, in praxi clinica omnino annotanda, quod sub minori quoque dosi ob peculiarem aegrotantium dispositionem huiusmodi noxios effectus produxerunt. Sed interdum quoque contingit, ut pluviosa et nebulosa tempestas in temperamenti inprimis frigidi et pueritiosi hominibus affectus soporosos et apoplepticos excitet. Quoniam enim humidus aer fibras relaxat et transpirationem impedit, atque respirationem retardat, augetur serum exhalabile, oriuntur catarrhi, tandemque saepe numero paralyses et apoplexiae. Haud rariores est exempli, quod hydropici et leucophlegmatici subito in narium haemorrhagias incident, moxque quasi apoplexia tacti moriantur. Quod phaenomenon non semper a nimia vasorum per serosam colluuiem relaxatione accidit, sed saepe numero etiam a vasorum hypogastricorum per collectas aquas hydropicas pressione oritur; vnde impedita sanguinis per inferiores partes via affatim ad caput congeritur atque hac ratione sopor atque apoplexia excitatur.

§. XXV.

Postremo etiam voluptuosa seminarum libido, si quando mares se simulant, itemque infame voluntariae pollutionis crimen in viris, omnes istos morbos generant, qui

D 3

neruos




neruos afficiunt, spasmos prouocant, vires exhauiunt, adeoque procreandis etiam soporosis apoplecticisque morbis dant ansam y). Haud minor in his damnis producendis est efficacitas cuiuslibet Veneris immoderatae, praesertim in hominibus debilibus: quippe vnde per copiosas seminalis materiae effusiones solida relaxantur, exciscant atque eneruantur, fluida vero, facta hinc mala digestione, chylificatione, et nutritione, impura redundatur. Hinc facilis ortus lethargi, apoplexiae, epilepsiae, aliorumque spasmorum, nec non acerbissimorum saepe numero dolorum attriticorum.

§. XXVI.

Facta igitur omnium earum caussarum, maxime omnino inter se diuersarum, vnde soporosi affectus nascuntur, recensione, facile est intellectu, non vnam eandemque medendi methodum omnibus singulisque morborum soporosorum conuenire generibus. Bone Deus! quam infana, quam vecors haec esset empiria! consultius igitur est omnibus his caussis maxime opportuna accommodare remedia. Primo igitur, si gulæ intemperantia voracitasque soporosorum affectuum causa est (§. X.), protinus ventriculi et intestinorum evacuatio indicatur, pro diuersis reliquis rebus circumstantibus vel per emetica, vel per purgantia et clysteres, vel per diaetam. Quae remedia tam diu repeti et in usum trahi debent, quam diu copiae impuræ in primis viis signa supersunt. Interim dantur quoque exempla, in quibus simul ad alia quoque remedia, verbi caussa, venae sectionem recurrere oportet medicum. Rarius enim in huiusmodi exemplis praemissam venae sectionem damna sequuntur. Siue enim praescribenda sint emetica, verus antea vasorum sanguiferorum status in praesenti aegroto est diiudicandus. Quodsi enim cerebrum a nimia sanguinis copia simul redundat, periculum est a repetita per emesin concussione exspectandum,

y) Conferatur celeberrimus TISSOT de onanis.

dum, quod partim inde copiosior sanguis ad caput cogitur, partim vasa nimis turgida facilissime rumpuntur; nisi antea ex vena secta sanguis detrahatur. Hanc autem plethoram, voracibus atque gulosis maxime familiarem, facile demonstrabit eleuator pulsus, faciei rubor, vires corporis insigniores, constitutio sanguinea et alia. Atqui tunc necesse est, ut clysteres praemittamus, tam ad dissipandam plethoram, quippe hic soporis proximam caussam, quam ad maiori cum securitate praescribenda emetica, ceteroquin hic opportuna. Siue autem in praesenti aegroto purgantia meliora fuerint, consilii tamen est, adhibito distorum temediorum yisu, statim imperare venae sectionem: quoniam difficile est iudicatu, corpus a nimia humorum copia non onerari, si quis antea lauta mensa fuerit delectatus, nec nimiae ciborum appetentiae conuenientem corporis addiderit motum. Ceterum in his momentis venae sectionem in pede nonnulli preferunt brachiali, alii iugularem venam secari iubent, alii denique temporalem arteriam; nec singulis iustae desunt rationes. Nos in praesentia non expendemus haec argumenta. Satis est, per venae sectionem hoc saltem fieri, ut certa sanguinis copia evacuetur, portio liquidi, tensa vasa urgentis, auferatur, adeoque ipsi parui ramuli laterales ob minorem affluxum in diametro diminuantur. Sed praeter nunc exposita generalia remedia necesse quoque est, ut ad excitandam vim vitalem debilitatem animalium applicemus. In hoc omne curationis punctum is feret, qui naturam imitatur, ex clarissimorum clinicorum observationibus saepe numero per febrem affectus comatosos tollentem. Scilicet huiusmodi febris omnia commouet organa, incidit humores lento, et obsecula tollit. Ad consequendam vero hanc naturae imitationem omnes idoneae sunt caussae, vigiliam producentes; de quibus antea differuimus, et quas hic non repetemus. Interim nunquam haec sunt negligendae, sed semper ita applicanda,



applicandae, vt omnibus singulisque rebus circumstantibus, morbos soporiferos producentibus, sint conuenientes.

§. XXVII.

Si nimirum per nutritionis excessum morbus oritur, tunc severissima imperanda est diaeta. Fibrae enim mias nutritiae minusque densae naturalibus fibrationibus erunt aptiores, sanguisque magis reddetur volatilis, quoniam non nimis renouatur, eiusdemque motus per vasa corporis sunt rapidiores. Proinde etiam porro aegroti exponantur in plenam lucem, nec, vt empiricorum mos est, cubiculis per sapientia obscuratis includantur: quoniam vnius cuiusque quotidiana obseruatione constat, ab ipsis primis solis radiis, in dormientes illapts, facilime discuti somnum. Hinc ergo naturale hoc excitationis remedium quidni adhibeamus? Ad haec maxime aegrotantium interest, vt ne supini jaceant. Hic enim situs horizontalis maxime invitat somnum; quoniam hoc in situ expeditius, quam in situ perpendiculari, sanguis ad caput vrgetur. Id quod tamen vitari debet, quoniam primarius medici scopus hoc in morbo hic est, vt deriuetur sanguis cerebrique obstrunctione expediatur. In iis vero, qui per stupefactionem in sopores sunt coniecti, inclinatus situs haud nocet, sed potius sanguis hinc facilius ad caput promotus instar aculei est, quo ad vigiliam perpetuam concitantur. Adeo huc, quod etiam omne, quo animi vires intenduntur, somnum remouet. Ira, verbi causa, totam animi oeconomiam exagitat. Proinde etiam conductit ipsis, si cum amicis de variis rebus, quibus potissimum animus ipsorum commouetur, instituant sermones. Tandem etiam in usum vocari possunt potulenta, oleo aut empyreumatico, aut aromatico aethereo abundantia; quippe quea nervos leniter exagitant, dissipantque soporem. Hinc infusa foliorum mali [Sinicae, salviae, melissae, betonicae, roris marini, aliorumque] conducunt.

Nec

Nec nocet decoctum Coffe; quod etiam aliqui ob empyreumaticum oleum per clysmata inicii iussérunt. Ob eandem denique neruorum irritationem prosunt quoque ad restituendam excitationem ódoramenta grata; quippe quae primum neruorum par, cum reliquis neruis maxime consentiens, inprimis afficiunt, adeoque multum imperii in totam animi oeconomiam habent. Vnde volatilia errhina, merabranam pituitariam facile penetrantia, fluido nerueo nouos imprimit motus, eosque, qui mortui videbantur, pronte resuscitant. Cuiusmodi exempla sternutations, in lipothymia et syncope proficuae, exhibent.

§. XXVIII.

Porro, vt expergefant soporosi, multum conueniunt spiritus cephalici et neruini, itemque aquae huius generis spirituofae, verbi causa, balsamus embryonum, aqua melissae composita, reginae Hungariae, lavendulae et aliae, nec non salia volatilia oleosa diuersi generis: quoniam corpora acria et volatilia, quae neruos palatinos et linguaes irritare possunt, tonum simul singulis neruis ob consensum restituent. Proinde etiam ipsum vulgare sal apoplecticorum ori immittitur, vt largiorem saliuæ affluxum inuitet, adeoque, incitatis ductibus saliuibus, neruos per gustus organum disseminatos leniter exagitet. Idem efficit quodammodo aqua frigida, soporosi facie adspersa: quippe quae subitanea constrictio spasticae peripheriae sensatione expergeficit aegrotum. Idem quoque saepe numero esse solet effectus concentus musici, quo nerui ad auditum spectantes incitati reliquos consentientes neruos commouent, adeoque saepe excitant lethargicos. Quoniam etiam clystres et pessus acres in omni intestinali tubo stimulis suis contractions vitales concitant, hoc dolorifico et ingrato sensu haud raro dissipant sopores. Cucurbitulæ denique episisticae et vesicatoria lacerant cutim, hacque ratione

E

per



per efficacem dolorem neruos cutaneos stupefaciunt, et hinc quoque in toto systemate neruoso graues excitant commotiones. Sed in his omnibus diuersisque excitatiōnis modis modus quoque est habendus et iste potissimum feliciter, qui praesenti aegroto maxime videtur esse opportunus; ne magis noceamus aegoto, quam si ipsum solis naturae medicatrix viribus relinquemus.

§. XXIX.

Alia est adfectuum soporosorum causa, potulētorum nimirum spirituorum, verbi causa, vini, vini adūsti, aliorumque huius generis praeparatorum intemperatus usus (§. XI.). In huiusmodi soporis morbis protinus emeticum est exhibendum. Deinde, cum ex omnium medicorum consensu acida impediāt destruantque ebrietatis effectus, haec simul sunt coniungenda. Huic scopo conueniunt in primis acida vegetabilia, in variis formulārum generibus exhibenda: exempli causa in iusculis acidulatis cum omphacio, succo acetosae aut mali citri. Conducunt quoque potus ex aqua, faccharo et limoniorum succo. Pisanis admisceatur acetum aut spiritus aceti concentratus 2), ad gratam aciditatem affusus. Applacentur porro epithemata temporibus et carpis ex taleo.

lis

2) Summus iam virum aceti praeceps celeberrimus BÖERHAAVE in elementis Clemiae; quocum et alii chemici atque clinici medici plerumque consentiunt. Prodest nimirum, teste BÖERHAAVIO, in omnibus austis et inflammatorii naturae motibus, ad destruenda sanguinis coagula; quae, tanquam proximas horum morborum causas, cadaverum incisorum anatome demonstravit. Idem quoque optimos aceti effectus in morbis conuulsu, hypochondriacis, hystericasque vidit, additique, ipso aceto puro, aut per adfusam aquam temperato, non efficacius esse sudoriferū remedium. Huius usui destinari quoque potest acetum, ad mentem STANLII frigore concentratum; de quo conferri possunt SCHVLZI: Praelectiones in dispensatorium brandenburgicum, artic. secundum distillatum. Porro huc pertinet spiritus aceti concentratus Schwarzianus: de quo euolustur clarissimi viri, BENJAMIN SCHWARZII, poliatri gedanensis meritissimi, kurzgefusse Ab-

lis citri aut aceto et succo semper uiui. Item admoueri potest naribus ad odorandum acetum quoddam medicatum, verbi caussa, rutae, rubi idaei, et alia: quae simplicia remedia plus saepe valent, quam alia maxime composta atque salia efficacissima. Nonnulli quoque multum efficacitatis in dissipanda ebrietate tribuunt spiritui salis ammoniaci: sed, quoniam volumen sanguinis magis auget, veremur omnino, ne plus obsit, quam profit. Venae sectionis vpus haud videtur proficuus, praecipue si pulsus est naturalis.


§. XXX.

Si vero per exhaustionem liquidi neruosi, ab immoderatis laboribus aut profundis meditationibus efficiam, soporosi morbi fuerint produceti, (§. XII.) non est, ut in prioribus caussis, praecepitanda curatio: quoniam ipsae exhaustae vires per somnum sensim reparantur et liberior fluidi neruei restituitur motus. Tantummodo igitur torpor iste soporosus sensim est dissipandus. Interim spirituosaliae aquae prudenter applicatae optima sunt remedia; quae laudabili vietu, ad eucyklam nutritionem proficuo, vino generoso, infusionibus theiformibus plantarum neruinarum et cephalicarum, verbi caussa, salviae, melissae, serpilli, rorismarini, origani, menthae, aliarumque, itemque etiam cum temperato Coffe potu coniuncta, vim vitalem neruorum leniter fuscitant, hactenque ratione sopores saluberrime discutiunt. E contraaria parte venae sectiones aliaeque profusae excretiones admodum sunt periculosae, immo saepe numero letales. Affectiones soporosae per torpidam animi corporisque requiem et turpe otium productae (§. XIII.), quoniam semper esse solent cum plethora et cacoehymico sanguinis lentore coniunctae, venae sectionem, stimulantia, vesicatoria, cucurbitulas, et reliqua requirunt excitantia,

E 2

quae

handlung von der Pest und von dem concentrirten Eßiggeist; qui libellus prodiit Gedani 1770.



quae iam supra alio loco (§. XXVII. et §. XXVIII.) lo-
cupletissime recensuimus. Qui ab oscillatione, libratio-
ne atque gyratione (§. XIV.) in vertigines atque sopores
coniiciuntur, ab his singularibus corporis motibus necessa-
rio abstinere debent. Qui vero a uestura in curru, le-
ticia, nauigioque soporosi euadunt, plerumque a natu-
ra ipsa, vomitum excitante, auxilium accipiunt, in quo
ferendo si natura desit, facilissime per lene emeticum cu-
rantur.

§. XXXI.

Si plethora sanguinea soporosorum affectuum caus-
sa est (§. XVI.), venae sectio omne curationis punctum
constituit: reliqua enim omnia remedia solummodo ad-
iumenti sunt loco. Inter medicos clinicos autem lis ad-
huc est, utrum in brachio primum, an in pede sit secan-
da vena. Videntur autem ii, qui priorem defendunt
sententiam, magis idoneis inniti rationibus: quoniam
potiores vasorum sanguiferorum renis in visceribus in-
terioribus hypogastricis deprehenduntur. Haec autem ple-
thora si ex excretionum periodicarum, verbi caufa, haem-
orrhoidum aut mensium, suppressione est nata, post
adhibita praedicta generalia remedia in primis iis oportet
medicum uti medicamentis, quae restituendis suppressis
haemorrhagiis conducunt. Quodsi forte fortuna aliquis ex
prima apoplexiae accessione feliciter euaserit, optimae se
adstringat diaetae, et si forte sanguinei fuerit temperamenti,
ad auertendum morbi recursum interdum emitte libi sanguini-
nem patiatur. Apoplexia enim sanguinea differt tan-
tummodo vim suam, ipsiusque capiti semper imminet,
cui semel mortem est minata. Cuius rei causa in hoc
latet, quod in quoconque orgasmno sanguinis congestio
et facilior et copiosior, quam in villam aliam corporis
partem, ad caput fertur. Primo enim rectum sanguinis
ex corde in vasa capitis iter accessum eiusdem ad caput
expeditiorem reddit; tum dictorum vasorum tenuitas,
debili-


debiliorque resistentia, quippe tunicarum suarum vnam deponunt, antequam caluariam subeunt, infringit renisum eorundem, quem irruenti sanguini opponant; dein fere incredibilis vasculorum copia, quae secundum anatomicon obseruationes caput perrepat, magnam quoque sanguinis vim adferat, vni tertiae parti eius sanguinis aequalis, qui totum reliquum corpus humanum perfundit; ipsa denique aeris pressio, per caluariae rationem plane impedita, actioni vasorum, contra affluentes humores renitenti, adminiculo esse non potest. Quibus ex rationibus haud difficile erit iudicatu, quod, quando cor sanguinem nimia et velocitate et copia propellit, cerebrum inde semper primas sentiat impressiones, eo maiores futuras, si superflua humorum massa ob nimiam densitatem maiorem quoque suscipiat impulsu. Hinc ergo facillimae in vasis sinibusque cerebri sanguineae stases, familiares morborum soporosorum aliorumque capitum affectuum, ex plethora oriundorum, caussae.

§. XXXII.

Contra si abundans seri colluuius sopores excitatuerit (§. XVII.), nonnunquam quidem venae sectio admitti potest, sed summa cum circumspetione, nec saepe numero repeti debet. Praestantiora vero sunt reliqua diuersi generis evacuantia, exempli gratia, emetica, purgantia, diuretica atque sudorifera. Neque obsunt fortiora stimulantia, verbi caussa, sternutatoria, itemque salia volatilia; quia fibrae, per serosam illuuiem velut inundatae, admodum sunt laxae debilesque, adeoque etiam debilem tantummodo recipiunt impulsu. Quapropter cum a copiosa sanguinis emissione laudabilior illa humorum pars, quae restituendo fibrarum tono est aptissima, ex parte perditur, a frequentioribus venae sectionibus nihil fere in his aegrotis remanet, quam pars aquosa et serosa. Tunc necessario ad reddendam neruis vim vitalem excitanda est febris quaedam. Huic scopo inseruit

E 3

unt



unt clysteres, colocynthide aut aliis acribus purgantibus acutiores facti, itemque iuscula viperarum, et omnia reliqua ita remedia, de quibus supra suo loco (§. XXVI.) differuimus. Aliqui etiam commendant clysmata tabaco interpolata; quorum usum vero non approbamus ob principium narcoticum, tabaco inhaerens: unde metus esset, ne ab eius applicatione augeantur sopores. Consulto hic praeterimus medendi methodum, symptomatice affectuum soporosorum apoplecticorumque generi adhibendam (§. XVIII.); quoniam perfectam sanationem non admittunt. Interim, nisi protinus lethalis fuerit accessio, eadem quoque ipsa remedia sunt applicanda, ut saltem imminens differatur fatum, quae antea ad sanguinis aut feri congestionem imminuendam commendauimus; prout nimirum hoc illudue fluidum congestionis materiam constituit.

§. XXXIII.

Nunc vero explicanda porro est medendi ratio, singulari cerebri plethorae, a diuersis caussis productae, idonea (§. XIX.) Vnusquisque facile perspicit, in huius mali sublatione medicum ad ipsarum caussarum diuersitatem attendere oportere. Quando igitur fanguis, per nimium calorem rarefactus, sanguinea vasa nimis dilatata et medullae cerebri atque cerebelli compressione sopores producit, praesentissimum, quod adhiberi potest, auxilium est venae sectio, pro diuersa aegroti aetate diuersisque viribus aliquoties repetenda. Ad haec collectetur protinus aeger in loco subfrigido, et quam primum ad se paullulum redierit, propincentur remedia, quae impetum et expansionem sanguinis sedare possunt: quo pertinent potus aciduli, ex aqua et limoniorum alioue succo acido vegetabili et saccharo confecti, nec non ptisanae nitrosae. Adspergi quoque commode potest aegroti facies caputque aqua frigida; nisi forte malueris fronti temporibusque epithemata aceto imbuta impone-re.

re. Nec balneorum frigidorum vsus esset inopportunus. Idem medendi genus commodissimum quoque erit, si a nimia capitinis insolatione singularis haec vaforum cerebri plethora traxerit ortum (§. XIX.). Quodsi porro arctior colli per collaria constrictio oriundi soporis fuerit causa, statim relaxandae et soluendae sunt lingulae, deinceps eadem opponenda sunt remedia, quae antea (§. XXXI.) commendauimus. Si grauior denique iracundia sanguinem singulariter ad caput congesserit (§. XIX.), etiam ipsa eadem remedia conueniunt, quae ad moderandam vniuersalem plethoram (§. XXXI.) exposuimus. Saepe numero autem fit, ut nimium quoque et intensem frigus haud dissimili effectu, ac nimius aestus, animalem turbet oeconomiam (§. XXII.) soporesque et apoplexi-as producat. Quo casu ad diminuendam cerebri obturationem restituendamque sanguinis circulationem utilissimae sunt frictiones, cum pannis linteis aut laneis insti-tuendae. Deferri simul oportet aegrotum in locum, temperatoris indolis aere plenum. Tandem quoque pedes et crura aegrotantis in aquam tepidam immittantur, vt sanguinis versus inferiores partes recursus adiuuetur. Quod postremum confilium in omnibus reliquis affectibus soporiferis, per alias caussas productis, minus conductit, quoniam tepida pediluua procliuitatem in somnum augent. Hic quoque haud incommoda sunt spirituosa temperatoria, verbi causa vinum calidum cinnamomisatum et saccharatum, itemque infusa theeformia plantarum cephalicarum, cardiacarum et diapnoicarum: cum e contrario in prioribus caussis omnia spirituosa atque volatilia salia summum illatura essent detrimentum. Naturalia conformatio-nis vitia, si sopores generant, quoniam innata sunt, perfectam medicationem non admittunt: interim tamen praeueniri et auerti haec mala possunt. Speciminis loco vnum adducemus exemplum: homines a natura pingues maxime in affectus soporosos sunt pro-clives,



cliues, tenui tamen diaeta, multo corporis exercitio, interpositis interdum remediis purgantibus et clysteribus, bene sibi de auertendis his malis prospicient.

§. XXXIV.

Succedunt nunc immediatae quaedam, ut vulgo dicuntur, cerebri affectiones, odorum nempe tam suauium, quam ingratorum affectus, in producendis apoplexiis et soporosis morbis saepe numero satis efficaces (§. XXIII.). Atque hic omnino ante omnia non attendere decet medicum ad volatile odorum principium: sed protinus, meo quidem consilio, sub curationis initium danda sunt emetica et clysteres lenissime stimulantes: quoniam nunquam non in huiusmodi aegrotis ventriculus crudis vitiosisque humoribus plenus esse solet; quippe qui faciliori debilitationi aut compressioni originis neruorum, ab odorum effluvis productae, ansam dede-runt. Interim non inficiamur, in horum affectuum speciebus occurtere saepe numero singulares quoque crises, verbi causa, sudores, diureses, vomitus, diarrhoeas, hypostases, et alias. Sed videamus nunc quoque, vnde per odores ipsius substantiae medullaris cerebri neruorumque affectiones idiopathicae et primigeneae, soporosos morbos proxime producentes, efficiantur, et quas nulla crisis sequi solet. Chemicorum nimurum demonstrationibus constat, ipsam odorum diuersorum materiam esse principium quoddam sulphureum sive inflammabile, tenerimo cuidam principio salino, potissimum acido, nuptum, indolis ad summam expansionem proclivis, et quod, pro ut diuersa salini inflammabilisque principiis in planta odorifera est proportio, diuersos quoque odores producit. Quando igitur hoc principium admodum mobile neruos tangit, itupefiunt hi et soporiferam affectionem producunt. Proinde hunc noxiun effectum destruendi optima est ratio, si volatilis huius principii actionem intercipiamus. Atqui hic experientia docuit medi-

COS,


cos, in quoconque casu neruorum systema per exhalationes corporum odoriferorum, aut etiam graueolentium et suffocantium, quae, verbi causa, e fodinis, cellis vinariis, carbonibus incensis, et ceteris prodeunt, laesum fuit, restituta antea liberioris aeris admissione, vaporem aceti aut cuiusvis alias acidi, praefentissimam habere efficacitatem. Hic ergo vapor opponendus estvaporis: quoniam enim magna in excitandis valetudinibus et vitæ incommode odorum vis est, quanto magis prodesse poterunt, si recte applicentur.

§. XXXV.

Si soporosa mala excitauerit forte condimentum aut medicamentum quoddam narcoticum (§. XXIV.), conductit etiam usus aceti aut omnium præparatorum pharmaceuticorum acidulorum: quibus nimirum nimia sanguinis rarefactio, per narcotici medicamenti aut condimenti vaporosum principium producta, iterum coeretur, nimiaque cerebri ab impulso sanguine compressio imminuitur. Comatosi affectus, per humidum aerem, climatique aut loci natalis rationem producti, non aliam requirunt curationem, quam quae apoplexiae serosae depellendae est commendata (§. XXXII.). Si denique per imprudentem et immoderatam venerem, sive naturalem, sive naturae contrariam, itemque a copiosa feminis iactura producti sint sopores, (§. XXV.) eadem adhibenda est medendi methodus, quae liquidi neruosi exhaustioni (§. XXX.) medelam affert. Accidit etiam interdum, ut a violentis capitis contusionibus percussionebusque sanguinis inter caluariam et meninges, aut inter meninges et cerebrum, fiant effusiones, atque inde varia orientantur affectuum sopororum et apoplecticorum genera. Quo facto medicum, si nulla alia ratione sufficienter efficaci sanguinem deriuare potuerit, trepanationem instituere, effusumque sanguinem educere oportet. Postremo inter symptomaticos sopores numerandi quo

F

que-



que sunt ii, qui per febres interdum producuntur, et plerumque febris furorem sedant, et sublata quoque febri tolluntur. Porro huc pertinet arthritica colluuius, nonnunquam versus caput reiecta, hacque ratione haud raro soporum atque apoplexiae causa. Haec ad extrema iterum reuocari potest per epispaistica, pediluuia et venae sectiones in pede institutas. Materia eryspelacea, scabiosa, aliae exanthematica chronica, forte retrogressa, etiam interdum sopores excitat: cui malo dein balnea, venae sectiones, vesicatoria, et diaphoretica profundunt; quoniam impuram materiam ad cutim reducent. Etiam puerperis nunnunquam soporosi accident affectus, si primis puerperii diebus a lochiis suppressis metastasis et refluxus sanguinis versus caput fuerit coactus. Si hoc sub statu arteriarum pulsus durus, ardens hypogastrii calor, et constrictum vteri orificio deprehenditur, necessario instituenda est venae sectio, vitam aut mortem certissime definiens. Haec autem venae incisio non in pede, sed in brachio instituatur, ne ad vterum, iam a sanguine oppressum, obturatum, inflammatum, et in spasmos contractum, adhuc potentius deriuetur sanguis. Atque hac ratione salutariter incidi venam, quotidiana puerparum exempla testantur. Deinde relaxetur haec pars per diluentia et per fomentationes emollientes: quo facto intra breve plerumque tempus restituuntur lochia et ipse affectus soporosus dissipatur. Tandem affectus soporosus per vehementiorem animi affectionem, verbi causa, laetitiam profusam, timorem, animi a nuntio tristi percussionem, etc productus, facile per temperantia nitrofa et dein subiuncta cardiaca, exempli gratia, aquam melissae, dispellitur; quibus castoreum addi potest, si eiusmodi inopinatum malum hysteris accidenter femellis. Si grauior iracundia soporis superuenientis fuerit causa, abstinere oportet medicum a venae sectione, quoniam hanc plerumque illaetabilis funestusque sequi solet

F I N I S.



DE
MORBIS SOPOROSIS

* * * * *
PRAESIDE
PETRO IMMANVELE HARTMANNO,
MED. ET PHILOS. DOCT. MED. THEOR. ANAT. BOTAN. ET PHARMAC.
PROF. PVBL. ORD. ACAD. CAESAR. NAT. CVR. ET ELECT.
MOG. ERFVRT. SCIENT. VITL. ITEMQUE SOCIET.
DVCAL. TEVTON. HELMSTAD. SODALE,
ORDINIS MEDICI H.T. DECANO,

DOCTORIS MEDICI DIGNITATEM

LEGITIME CAPESSVRVS

D. IVNII CLODCCLXXI.

PVBLICE DISSERET

NICOLAVS LEONARD,

NANCEIO-LOTHARINGVS.



TRAIECTI AD VIADRVM,
E TYPOGRAPHEO WINTERIANO.

